



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

Precatio ad Sapientia[m] Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

3. Sapiens dicitur, ob singularissimum & eminentissimum modum nulli creaturae communicabilem. Cum enim duo ad Sapientiam requirantur, nempe lux intelligentiae, & obiectum quod intelligatur; ipse utrumque à se habet in gradu eminentissimo, & cum perfectione infinita. Nam ipse-met est infinita intelligentiae lux per se subsistens, & ipse-met ex se est omne obiectum intelligibile, vel illud in ipso eminenter continetur. Itaque nemini debet lucem intelligentiae, nemini obiectum intelligibile.

PRECATIO

Ad Sapientiam Dei.

Ex lib. 6. de Perfecta, c. 6.

Illumina oculos meos, Lux primæva; dissipa tenebras animæ meæ, Sol æterne. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, vt me deducant &

ducant & adducant in montem sancti-
tuum, & in tabernacula tua. Tu enim
omnis lucis & intelligentiæ origo,
omnis mentis & sensus auctor. Sine
tua irradiatione omnia in tenebris
& nocte ignorantiae sepulta iacent:
omnes artes & scientiæ, tenues sunt
adumbrationes tui: tota sapientia
Angelorum, scintilla quædam exi-
gua infinitæ lucis tuæ.

Tu fons omnis pulchri & amabi-
lis, omnis formæ & speciei, omnis
ordinis & proportionis, omnis con-
gruentiæ & concordie, omnis sym-
pathiæ & antipathiæ. Tu omnibus
in rebus naturam & speciẽ finxisti,
& in omnium rerum partibus con-
sensum & analogiam, numerum &
ordinem, mensuram & modum
statuisti. Tu primæuum signacu-
lum omnium, omnia penetrans pu-
ritate & subtilitate tua, intrinsecus
formans pariter & disponens om-
nia in omnibus.

Et quamuis attingas à fine ad finem, à summis ad extrema, teque in omnia inferas; non tamen permisceris alicui, nec ullius attactu inquinari, sed in tuo nitore, & sinceritate perstas. Infiniti sunt processus tui, quibus ad creaturas tuas vel formandas, vel illuminandas descendis, & super eas effunderis; & tamen in tua immutabili identitate, supra omnia creata, firmiter fixa perseueras. Innumerabilia nobis per seruos tuos locuta es, & innumeris te modis & formis patefecisti mentibus hominum; & tamen vno simplicissimoque conceptu perficis omnia.

Omnia es auctor & artifex, omnium exemplar, mensura, & finis. Nec solum eorum quæ sunt, & iam exterius speciem à te sibi impressam acceperunt, siue inuisibilia ea sint, siue visibilia, factor es; sed etiam eorum quæ non sunt,
& tua

& tua omnipotentia fieri possunt, quæ infinities plura sunt. Omnia enim hæc excogitasti, & apud te formasti ante sæcula, & retines in conspectu tuo, quamuis ea numquam foris extra te condere decreueris: sicut magnus quispiam architectus multas palatiorum formas excogitat, menteque retinet, quibus apud se gaudet & triumphat, quamuis ea numquam extruere foris statuerit.

Hæc omnia apud te summè perfecta existunt, & lucent ab æterno coram te (non minùs quàm quæ exterius condidisti) circumfusa lumine tuo, singula in specie & ordine suo: ijsque gaudes & triumphas in luce tua inaccessiblei, ubi ea possides. Ibi corrumpi nō possunt, non veterascere, non offundi tenebris, non excidere tibi; sed in eodem semper splendore immutabilia & æterna persistunt.

O admi-

O admirabilem sapientiam cui omnia præterita & futura sunt præsentia, cui omnia temporalia sunt æterna; cui omnia insensibilia & mortua viuunt; cui omnia quæ non sunt, existunt; quæ totam simul ambit æternitatem, quæ omnem exhaurit infinitatem, quæ vniuersam intra se capit immensitatem! Omnia intra te æternum esse habent, & æternam vitam, initio & fine carentem, & prorsus immutabilem. Habent quidem singula in seipsis esse quoddam sibi intrinsecum, siue actu, siue potestate; sed hoc in rebus creatis habet initium, estque mutabile, neque non-viuentibus vitam tribuit. Verùm, præter hoc esse quod in seipsis obtinent, habent in diuina mente & sapientia tua, esse quoddam extrinsecus veluti infusum, sempiternum & immutabile. Intelligere enim, est quoddam intelligibilium.

gibilem esse, per quod in mente
veluti in spiritali quodam mundo
existunt, splendent, & viuunt. Sa-
pientia igitur tua, est omnium in-
telligibilem esse, & vita, & lux,
iuxta illud, *Quod factum est, in ipso
vita erat*, vt S. Augustinus & multi
Sanctorum intelligunt.

In diuina essentia sunt omnia
tanquam in primordiali rerum
fundo & fundamento, in potentia
vt in causa effectrice ex nihilo; in
sapientia formaliter & obiectiue,
& velut in causa exemplari. Sapien-
tia primò in essentia conuersa, eam
omninò comprehendit, se illi exæ-
quans, & prorsus commetiens. Ex
vi huius comprehensionis sequitur
immediatè omnium possibilem
conceptio seu effectio: ex hac,
omnium operum & effectuum,
quæ à creatura tam possibili quàm
existente fieri possunt, distincta
notitia: hinc omnium eorum quæ
quauis

quavis hypothefi futura effent, clara intuitio: denique omnium re-
ipfa vel præfentium, vel præterito-
rum, vel futurorum æterna vifio.
Hoc modo & ordine fapientia tua
in quinque velut fphæras obiecto-
rum & intelligibilium procedit; &
quidquid attingit reliquorum, ex
vi comprehensionis effentiæ attingit,
quæ omnium poffibilium ratio
prima eft & fundamentum. Itaque
in te non folum vniuerfitas fapientie
& intelligentiæ, fed etiam vni-
uerfitas obiectorum & intelligi-
bilium.

Tibi gloria, plenitudo lucis, ple-
nitude veritatis: tibi gloria ab om-
ni creatura, & fupra omnem crea-
turam apud teipfam, vbi clara &
confummata excellentiæ diuinæ
notitia. Splendet quidẽ excellentia
tua in mentibus Angelorum & Sã-
ctorum, eftque hic fplendor gloria
quædam tua; verum infinitè clariùs
splendet

Splēdet in sapientia tua: sicut infinita lux clariùs lucet quàm scintilla modica. Ibi ergo sapientia laudet animam suam; ibi glorificet se; & omnis creatura congaudeat & congratuletur illi; laudet, benedicat, & glorificet illam. Non eges gloria & laude nostra: infinite claritati per scintillã nulla fit accessio. Sed hæc profunt nobis. Nosse enim & laudare te, summum bonum nostrum, & vita eterna est. Tu quoque omni laude quæ à creatura tibi deferri possit, dignus es, & ipsa in omnem æternitatem te laudare & benedicere tenetur.

CONSIDERATIO XVII.

De Pulchritudine Dei.

Pulcher dicitur; i. tanquam fons omnis pulchritudinis in Angelis, & hominibus; in cœlis, & elementis; in animalibus, & plantis;